

CAP. XIV.

DE VIA UNITIVA IN SE.

271. — **Praenotandum.** — Quod in toto praesenti opusculo actum sit de modis perveniendi ad perfectionem et augmentationem divinae charitatis in cordibus nostris, expedit antea acta principia prae oculis habere ut melius intelligatur *via unitiva*, de qua suppositis praesertim quae de viis generatim tradidimus, brevior sermo instituendus est. Incipiens purgavit se a vitiis ut charitas servaretur; proficiens non relicta purgatione defectuum, et quidem majori cura, roboratus est per virtutes quibus veluti tot armis defenditur, et tot margaritis ornatur, ut Deo melius placeat et in majori charitate obfirmetur. Perfecti vero non negligunt quotidianam et pro viribus accuratissimam omnium imperfectionum purgationem, neque adipiscentiam virtutum in nobiliori gradu et ardentiori conatu jam faciliore facto, sed quodammodo veluti liberi a sollicitudinibus passionum et ordinarium difficultatum ad virtutes, toti charitati incumbunt, toti in adhaerendo Deo occupantur, unionem cum Dilecto ferventer prosequentes, imo cupientes dissolvi ut sint cum Christo in dulcedine ineffabili.

272. — **Notio viae unitivae.** — Via unitiva (ut dictum est n. 45) est *illa in qua anima a peccatis purgata et virtutibus illuminata et exornata, principaliter intendit, ut Deo inhaereat, eo fruatur et in eo quiescat: VEL: illa in qua passionibus ita sunt edomitae, et animus virtutis operationi adeo assuetus, ut in diligendo Deum sese exercent frequenter, facile, prompte ac delectabiliter* (NOTA: haec delectatio non semper est sensibilis, et saepe Deus permittit ut perfectissimi viri ariditates et difficultates magnas patiantur).

273. — **Differentia viae unitivae ab aliis viis** patet ex dictis. Incipientes principaliter curant mortalia vitare et contra illa roborari; proficientes venialia praecavere et contra illa et mortalia magis perobfirmari; perfecti maxime student ut vitent omnes imperfectiones et defectus voluntarios, Deoque in omnibus placeant ut Ipsi uniantur. Incipientes principaliter resistunt peccato mortali; proficientes facile et prompte illud vitare solent, et *conantur* quamvis cum difficultate venialia praecavere; perfecti facilius venialia fugiunt, atque vitant quidquid impedit ne affectus mentis totaliter feratur in Deum.

274. — **Explanationes circa naturam viae unitivae.** — I. Unio de qua agimus est summe desideranda. — II. Certum est unionem de qua agimus non fieri per amissionem esse animae et ejus conversionem in Deum; nam hoc est impossibile et repugnat Dei immutabilitati. — III. Haec unio non fit per hoc quod Deus sit intime praesens animae:

quia id commune est omnibus rebus, in quibus Deus per immensitatem est praesens. Si vero loquatur de esse per gratiam, omnes justii sunt Deo uniti: « Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo ». — IV. Haec unio celebratur in potentiis animae, scilicet in intellectu et voluntate, et in his actibus praedictarum potentiarum perficitur, vel *active* per conformitatem voluntatis nostrae ad Dei voluntatem, vel *passive* (de qua loquemur in Mystica speciali) per altissimam Dei contemplationem. — V. Unde anima divino auxilio roborata, propria industria potest pervenire ad unionem *activam*, et ideo *activa* dicitur.

275. — Officium viae unitivae. — 1° Velle quidquid Deus vult, quia vult, quomodo vult, quamdiu vult. — 2° Deo toto cordis affectu inhaerere, et in omnibus obedire et placere. — 3° Pro Deo omnia sive dulcia, sive amara, sive ardua, sive facilia aequali animo et prompta voluntate exequi. — 4° In unione voluntatis nostrae cum divina perseverare, et divinae voluntati immobiliter subjici.

276. — Finis viae unitivae. — 1° Non consistit in gustibus internis, extasi, raptu, visionibus, etc. (quae quidem sunt media ad illam non quidem necessaria, sed juxta divini beneplaciti dispositionem); sed in conformitate et unione voluntatis nostrae cum divina. Unde finis viae unitivae consistit in universali conformitate propriae voluntatis cum divina in omnibus. — Nota quod rejici debet uti vera tentatio, opinio qua quis crederet se

reprobum esse: et non debet in hoc conformari voluntati divinae, quia non debet velle Deo maledicere et ab eo separari: imo si adesset revelatio de reprobatione propria anima nec debet conformari, nec credere quod haec revelatio sit aliud quam salutaris comminatio conditionalis. Fuge ergo a talibus timoribus et opinionibus et spera in Deo (Cfr. S. Ligor. *praxis amor. erga J.-C.* c. 13, n. 9). — 2° Ergo finis viae Unitivae supponit ut devotus sibimetipso moriatur per omnimodam propriae voluntatis abnegationem.

277. — Signa viae unitivae. — 1° *Amor Dei non verbo tantum sed opere et veritate*, quo anima Deo in omnibus etsi minimis placere studet, et faciliter difficultates venialium et imperfectionum superat. — 2° Voluntatem divinam ardentissimo affectu in omnibus quae agere debemus vel agere intendimus quaerere, cum omnimoda obedientia erga Superiorem vel animae Directorem, ne decipiamur in via. — 3° Ardentissimus verus et constans amor proximi, ac proinde vitare voluntarios defectus contra fraternam charitatem. HINC: haec unio conformitatis fundatur in amore Dei et proximi (ait Ant. a Spir. S.); si in utroque nos amore exercuerimus, et praesertim in amore proximi: plus enim, et certius amorem proximi in nobis experimur quam amorem Dei. Multae namque et evidentes circa proximum dilectionis occasiones occurrunt, quae circa Deum rarius contingunt. Unde merito concludit Evangelista, quod si non diligimus proximum quem videmus, nec Deum

diligimus quem non videmus. Possumus igitur ex amore proximi facile ex nobis colligere qualis sit, et quam magnus amor Dei; maxime quia Deus in praemium amoris proximi quem nobis tam stricte praecipit, magnum amoris sui incrementum praebet: et si quis defectus in amore proximi saltem frequentes et voluntarios adverterit, certissime sibi persuadeat, quod ad hanc unionem divinam non pervenit, quantumcumque sensibilis gratiae ac devotionis gustum sentiat, et aliqualem in oratione quietis suspensionem experiatur: postulet ergo a Domino ut sibi perfectum amorem proximi concedat.

278. — Varia. — I. Dicat saepe devotus in via divinae charitatis ambulans, illud S. Ignatii: « Suscipe, Domine, universam libertatem meam. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem meam. Quidquid habeo et possideo, mihi largitus es; id totum tibi restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum; amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quid ultra poseo ». Et cum S. Francisco iterato exclamet: « Deus meus et omnia! » et cum David: « Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei et pars mea in aeternum!... Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! » Et cum S. Augustino: « Omnis copia, quae Deus non est, egestas est mihi! »

II. « Unum vult (Deus) nos esse, ut supra mundum simus; nam qui partitur studium, derivat affectum, et qui dividit curam, differt profectum » (S. Ambros. *ad Virg.*).

III. Quia perfectio christiana in hac vita non consistit praecise in intensitate gratiae seu charitatis habitualis, sed in *dispositione proxima* qua justus frequenter, facile prompteque Deo paret, eique in omnibus placere studet; sequitur quod quis potest esse sanctior ex parte gratiae habitualis et simul imperfectior ex parte venialium et inobservantiae divinorum consiliorum: ac proinde recte dictum est n. 20, IV, quod *secundum quid* tantum perfectio est mensura amicitiae cum Deo, id est, in modo agendi fideliter ferventerque in Dei famulatu, devotus quodammodo manifestat quantum Deum diligere velit. Attamen, caeteris paribus, major intensitas gratiae seu charitatis habitualis multum ad perfectionem confert.

IV. Nunquam in via perfectionis sistendum (iterum iterumque memento), sed semper progrediendum, imo quamvis perfecta sit anima, debet magis magisque purgari et illuminari, quin tamen statum suum relinquat. Via unitiva exigit magnam conscientiae puritatem: ipsaque veluti enutritur omni quod ad majorem amorem conducit.

V. Unionem de qua loquimur debet quilibet devotus appetere, et continuo tanquam magis utilem et securam (quam viae extraordinariae) a Deo instantissime postulare. Sed quoniam tot devoti tantis afficiuntur defectibus ex eorum negligentia et majori minorive incuria, et parum generosi ad vincendas imperfectiones inveniuntur, hinc est quod heu! pauci quidem ad hanc unionem proveniunt, et nobilissimam

laborum ad dictam unionem necessariorum victoriam obtineant. Tu vero, devote et studiose lector, totis viribus incumbere animae tuae profectui ut non solum in Dei amicitia permanes et salvus fias, sed et in terra efficiaris Deo charissimus servus, et in coelo uberiori triumphes corona.

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Quidquid igitur misericordiae Filius exhibuit, totum hoc nobis Mater contulit, quae Filium genuit in quo nobis omnia donavit. Ex his patet beatissimam Virginem in misericordia omnem excellere creaturam, quia nimirum ipsius mundi misericordiae causa (Mater) exstitit (B. Alb. Magn. *sup. Missus est*, q. 75).

Mariam invoca. — Ave dulcedo et vita nostra: « Vita vere, quae mortem superbiae vicisti, quae nobis vitam gratiae impetrasti, vitam gloriae genuisti » (S. Bonav. *Stim. amor.* p. 3, c. 19).

Mariam laetifica. — Ejus patrocinium favore omnium perfectionis amatorum implorando: ejus charitatem meditando. — *Ut sim servus Filii, servitatem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. XV.

DE OPERIBUS VIAE UNITIVAE.

279. — Opera viae unitivae reducuntur, ut patet ex dictis, ad CONFORMITATEM voluntatis nostrae cum divina voluntate, et ARDOREM CHARITATIS. Pauca de conformitate dicenda, suppositis alibi dictis.

280. — **Notio conformitatis.** — I. Conformitas est *actus charitatis divinae quo voluntatem nostram voluntati divinae in omnibus liberrime subjicimus.* — II. Vocari solet etiam *Resignatio.* — III. *Ejus objectum* sunt omnes actiones nostrae et omnes eventus, quatenus respiciunt D. Providentiae dispositionem, ut per omnia nostra et in omnibus quae eveniunt, totis viribus satagemus Deo placere et perfecte parere, fugiendo peccatum, et virtutem unice sectando. Unde per conformitatem homo in omnibus Deum cogitat, ejusque beneplacito subjicitur, non considerans res in semetipsas, sed in sapientissima et misericordissima erga nos Dei dispositione.

281. — **Divisio.** — Conformitas est 1° *imperfectissima*, quando nos resignamus cum exceptione, v. gr. ad omnia, excepta infirmitate; 2° *imperfecta* seu debilis, si in proposito sit universalis, et in actu

saepe saepius exceptiva; 3° *perfecta*, si habitu et actu sit generatim universalis et totalis. Dixi, generatim, quia in hac vita homo non potest omnes omnino imperfectiones et omnia omnino venialia vitare: ac proinde non semper Deo perfecte paret. Primi immolantur ex parte; secundi immolari volunt per totum, sed in opere recedunt; tertii totaliter sese abnegant, et in omnibus divino beneplacito subjacent libentissime et ex magno charitatis affectu, in quantum sustinet humana fragilitas.

282. — Actus. — 1° Dicere cum Job: « Dominus dedit, Dominus abstulit... ». — 2° Justam confiteri in omnibus voluntatem Dei: « Justus est Dominus in omnibus viis suis... ». — 3° Voluntatem Dei scire velle pro omnibus quae facere debemus vel optamus: « Domine, quid me vis facere? » — 4° Adversa patienter tolerare absque murmuratione, dicendo cum Davide: Obmutui et non aperui os meum, quoniam tu fecisti. — 5° In divina voluntate tantummodo delectari, et illi libentissime et universalissime parere et subjici. — 6° Causas eventuum qui nos affligunt, nolle inquiete perscrutari, scientes quia Deus amplius diligit nos, quam nosmetipsos nos diligimus. — 7° Orare ut Deus doceat nos voluntatem suam, et ut illam in omnibus adimpleamus.

283. — Gradus. — I. Deo in praeceptis obedire. — II. Deo in consiliis evangelicis parere. — III. Deo in omnibus placere et quidem perfectiori quo possumus modo, non tantum in praeceptis et consiliis, juxta proprii status nostri conditionem, sed in modo

perfecto praecepta et consilia servandi. Consilium Domini est ut sancte vivamus, et *meliori et perfectiori modo* opera sanctificationis nostrae et erga Deum famulatus nostri operemur, sua adjuti gratia. Unde perfecte conformitatem sectantes, etiam in rebus non praeceptis, eligunt quae Deo magis placent, et illa perficiunt modo quo Deo magis placet. *Ergo* obedientia erga confessarium et Superiores est maxime necessaria, ut securi in voluntate Domini perfecte ambulemus...

284. — Principia circa conformitatem. — I. Sanctitas et perfectio animae consistit in abnegatione sui et resignatione ac subjectione erga voluntatem Dei. — II. Substantia praeceptorum et consiliorum reducitur ad faciendum quicquid Deus vult et quomodo vult. — III. Vere resignati permanent indifferentes circa ea quae Deus vult, id est eodem modo accipiunt dulcia et amara, facilia et difficilia. — IV. Id unum sufficit Deum perfecte amanti: « Dei beneplacitum est ». Unde unica ejus delectatio est placere Deo. — V. Resignati perfecte fiunt sancti et sunt felicissimi inter omnes homines. Unde dicendum cum S. Theresia: « Haec est vera et essentialis unio (scilicet perfecta conformitas) quam semper desideravi, et incessanter a Domino postulo ». Tales nunquam conqueruntur dicentes cum mundanis quod habeant malam fortunam, vitam infelicem, et quod tristitias multas quasi proprias habent... etc. — VI. Perfecte conformati non prorumpunt in impatientias et tristitiam inordinatam, rebus aliter acce-

dentibus ac exspectabantur aut desiderabantur; sed pacem semper conservant, non quaerentes multa facere sed perfecte peragere quae faciunt, et rebus et actionibus gloriosis (non obligatoriis) anteponunt vel minimas obligationes. — VII. Perfecte conformati non indulgent propriae indoli et inclinationi in laboribus suscipiendis, sed victores de seipsis, toti incumbunt subjectioni divinae voluntati. Quid enim mihi, aiunt, ut istud vel illud agam, dummodo quae de me vult Deus peragam? Haec voluntas nobilitat actiones meas, etsi viliores seu abjectiores hominibus appareant. — Sic neque in altioribus officiis superbiunt, neque in humilioribus dejiciuntur. — VIII. Hinc perfecte resignati despiciunt seipsos, mortificant proprios appetitus, perfecteque conformitatem colunt. — IX. Et quoniam in favorabilibus non satis apparet nostra resignatio, maximum perfectae resignationis signum est cruce a Deo missas cum pace amplecti. — X. Non solum accipienda sunt cum resignatione quae a Deo directe veniunt, sed et quae directe ex malitia hominum, et proinde indirecte tantum ex Deo (permittente talem malitiam, non volente) nobis contraria obveniunt, ut fecit David cum Semei. — XI. Perfecti resignati, praecipue exerceri curant tempore infirmitatis ut mortem prompte accipiant quomodo et quando Deo placeat. Imo valde expedit, ut quisquis in mediocri dispositione invenitur, mortem desideret, ut a periculis mundi liberetur et Deo perfruatur, ut Deum melius securiusque diligat. Si ardentius desideraremus Deum in coelis quamcitus

videre, major esset cordis nostri ardor ad Deum diligendum et mundum aspernendum. — XII. Resignationis perfectae est desiderare pervenire, et totis viribus ad hoc adlaborare ad eum gratiae et gloriae gradum quem Deo placuerit. — Ergo *resignatio et conformitas* infinite distant a Quietismi deliramentis, et potius sunt activissima animae adlaboratio suppositis auxiliis Divinae gratiae, ut magnos thesauros colligat in coelo locandos. Charitas enim non est otiosa.

285. — Fundamenta conformitatis et resignationis. — I. *Deus est Omnipotens*, et sine ejus voluntate nihil accidere potest: « Nonne duo passeressesse voeneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos » (Matth. 10). — II. *Deus est sapientissimus*, et scit omnia in bonum convertere. — III. *Deus est Optimus*, et vult omnia in summum nostrum bonum dirigere. — Ergo dum in omnibus quae fiunt respicies ad divinam justitiam, divinae voluntatis memoriam frequentissime revocabis per orationes jaculatorias. Et si Deus per prospera et adversa hujus vitae te punit, probet vel premiat, scito quod haec omnia recto Dei judicio diriguntur ad bonum tuum, ut a malo fugias, et ad Deum traheris et Deo uniaris.

286. — Dignitas conformitatis seu Resignationis. — I. Christus (Matth. 12, 50) ait: « Quicumque facit voluntatem Patris mei, qui in coelis

est, ille meus frater et mater est ». — Super omnia, quae vel dicere, vel facere possumus, haec a nobis maxime exposcit Deus, ut intus in corde dicamus: « Domine fiat gratissima voluntas tua » (Blosius). — III. Summum vitae bonum est humanae voluntatis cum divina conjunctio (Euthym.). — IV. Qui sunt recti corde? qui non reprehendunt Deum, qui voluntatem suam ad Dei voluntatem dirigunt, non voluntatem Dei ad suam curvare conantur (S. Aug. in ps. 123).

287. — **Varia.** — I. Conformitatem melius exerces, si firma fide, ferventi charitate, mortificationis studio, obedientia, spiritu interiori, sanctorum et devotorum exemplo, divinae providentiae amorosa consideratione, cor tuum ad altiora elevas.

II. Solum peccatum potest te separare a voluntate divina. Unde de nullo tristitiam habeas nisi de peccato, nihil timeas nisi peccatum. Contentus esto de talentis quae Deus tibi tribuit. Negotiare cum illis ut Deo placeas.

III. Cave ne turberis, si in laboribus litterariis, vel in zelo animarum optatos non colligas fructus. Fac quod possis, ora et in pace persevera, Deo te committendo, ut fiat voluntas Sua in te, in laboribus tuis, in omnibus. Ora tamen in tranquillitate mentis ut removeantur obstacula quae et tu et alii homines opponunt spirituali fructui, quem alias divinae gratiae respondendo producere possent.

IV. Nec turberis si in virtutibus non proficias quantum desideras, sed ora in pace, labora et spera.

Nam « licet jueundum sit, cum pro virtutibus et gratia oramus, id obtinere a Deo, quod petimus, longe tamen delectabilius atque utilius est, totum se Dei beneplacito resignare » (Blosius). Haec tamen resignatio, ut patet, ardorem adauget ut in omnibus Deo placeamus: unde fugit pigritiam.

288. — **Nota:** Quoad *amorem proximi*, maxime cave a judiciis et verbis charitati fraternae contrariis, et esto angelus pacis inter fratres. Quoad ardorem charitatis, ardeat cor tuum per meditationem et jaculatorias, amoremque Dei intendendo in operibus tuis, ita ut totus amorem erga Deum quasi respices et aspices. Invoca Mariam uti Matrem pulchrae dilectionis et fidelissimam Dei ancillam, Sanctissimam, benignissimam, potentissimam Oratricem et Doctricem omnium devotorum.

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Mater enim ista omnia bona nobis vult, sicut mater filiis. Unde et dicere videtur Christianis illud *Philip. 1, 8*: « *Testis enim mihi est Deus, quomodo vos cupiam in visceribus Christi Filii mei* » (Rich. a S. Laur. *De Laud. B. V. l. 4*).

Mariam invoca. — O Deipara, mihi peccatorum meorum « emendationem largire, ut per donum hoc tuum a pessima consuetudine resipiscens, supplex meipsum proster nam, atque quod vitae reliquum fuerit, in gravibus meis

facinoribus deplorandis consummam (S. Sabbas abb. *ex Menocis Graec.*).

Mariam laetifica. — Ardentissimum Mariae proficiendi studium quod in terris habuit, imitando. — *Ut sim servus Filii, servitatem appeto Genitricis!* (S. Ildef.).

FINIS THEOLOGIAE MYSTICAE FUNDAMENTALIS.

AVE, MAGISTRA DEVOTORUM, MARIA!



INDEX

Approbationes	Pag. v
Praenotiones	» 1
Tractatus de perfectione spirituali generatim	» 15
CAP. I. — De natura Perfectionis spiritualis	» 15
ART. I. — De Notione Perfectionis spiritualis	» 16
ART. II. — De Qualitatibus sive notis Perfectionis	» 23
ART. III. — De bonis Perfectionis	» 27
CAP. II. — De obligatione tendendi ad Perfectionem	» 38
ART. I. — De generali obligatione perfectionis	» 38
ART. II. — De speciali obligatione perfectionis	» 42
ART. III. — Documenta perfectionis et quodlibeta	» 48
Tractatus de Perfectione spirituali speciatim	» 69
CAP. I. — De viis quibus pervenitur ad perfectionem	» 69
CAP. II. — De via purgativa in se	» 78
ART. I. — De vera notione viae purgativae	» 78
ART. II. — Monita generaliora circa viam purgativam	» 82